

pollicetur. Id cum lætis animis Ordines exceperant, statim Rossepotum, & Pruncum eodem contendere jubet. Re sæpius agitata, Belgii protector Alenconius vocatur, centum aureorum millibus in singulos annos decretis, Landreseum, Quenojum, & Bapalma arces se ei permissuros pollicentur. Alenconius publico scripto, quæ ad Belgarum causam amplectendam impulissent, miseram provinciarum conditionem, Hispanorum artes, quantum Galliæ provinciarum conservatio interfuisset, persequitur; Gallorumque ad duodecim millia copiis coactis, in Hanaltinorum fines proficiscitur, ac septimo idus julii Montium ingreditur, Beomontium obsidione cingit.

*Franciscus
Alenconius
protector à
Belgis vocatus.*

Ex eo Alenconii consilio, quo palam Philippi Hispaniarum Regis hostes sibi protegendos susceperat, varia hominum sermonibus jactabantur; ac plerique pertimescebant, ne inde turbandæ inter duos potentissimos Reges pacis, magno totius christianæ reipublicæ detrimento, occasio suboriretur. Qua ex re multis de causis Veneti commovebantur, cum inter Reges armis decertari non posset, quin reliquæ christianæ reipublicæ partes, eodem veluti morbo correptæ, in eadem pericula calamitatesque traherentur. Eadem quoque cura quietis, atque christianæ religionis incrementi Gregorium sollicitum habebat, qui ob id ad publicam tranquillitatem tuendam sæpius Senatui hortabatur: *Id & se dignum, & proprium sui muneris esse, quippe qui pacis inter christianos Principes cupidus, omnium officiorum genere eam fovere ac retinere semper adnixus fuisset, parvasque scintillas, quibus turbari aliquando posset, restringendas curaverat: modo non tam de re communi, quam de republica ipsa laborandum esse: nihil Veneto nomine, nihil auctoritate dignius illustriusque confici posse, quam si omnia opera ac studio cum Rege atque Alenconio fratre ageret, ut cæptis desisteret, neve violandæ pacis auctor esse vellet.*

*Gregorius
Pontif. Veneros ad pacem inter
Principes procurandam
hortatur.*

Rerum igitur gravitate, ac Pontificis suasionibus Senatus permotus, Joannem Michaelium extra ordinem legatum in Galliam & Belgium mittit, ut Alenconium ad susceptam provinciam deponendam impellere nitatur. Michaelius per dispositos equos paucis diebus Lutetiam pervenit; Henricum adit; suadet, e Belgio fratrem avocet, neu Gallos ejus auspiciis adversus Hispanos bellum gerere permittat, cujus funestis

*Joannis
Michaelis,
oratoris ad
Regem &
Alenconium
missi, officia.*